

**Dissertatio inauguralis medica de morbis humoris vitrei in oculo humano ...  
/ publice defendet auctor Traugott Guilielmus Gustavus Benedict.**

**Contributors**

Benedict, Traugott Wilhelm Gustav, 1785-1862.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Lipsiae : Ex officina Weinedelia, [1809]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jgtr5abs>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Inacts 1121.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
MORBIS HUMORIS VITREI IN  
OCULO HUMANO.

---


QUAM  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITTERARUM LIPSIENSI  
AUCTORITATE  
PRO  
SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE RECTEQUE CAPESSENDIS  
DIE XXII. SEPTEMBRIS MDCCCIX

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

TRAUGOTT GUILIELMUS GUSTAVUS BENEDICT,  
TORGAVIA - MISNICUS.



---

59  
L I P S I A E  
EX OFFICINA WEINDELIA.

1711

THE HISTORY OF THE

MOON'S HUMORS WITHIN  
OCCULO LUMINIS

AND

OF THE SUN'S LIGHT

AND THE CAUSES OF THE

VARIOUS COLORS

OF

THE HEAVENS

BY

JOHN FLAMSTEED

OF THE ROYAL OBSERVATORY AT GREENWICH

IN TWO VOLUMES

THE SECOND VOLUME

LONDON: Printed by J. Sturges, at the

PRINTING OFFICE OF THE ROYAL OBSERVATORY

1711

IN THE ROYAL OBSERVATORY AT GREENWICH

V I R O

EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO

JO. CHRISTIANO ROSENMÜLLER

PHIL. MED. ET CHIR. DOCT. IN UNIVERSITATE LITT. LIPSIENSI ANAT.

ET CHIR. PROF. PUBL. ORD. ORDINIS MEDICORUM IBIDEM

ADSESSORI

PRAECEPTORI ATQUE FAUTORI SUO PIE VENERANDO

HUNCCE LIBELLUM

GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM ESSE VOLUIT

A U C T O R.

THE UNIVERSITY OF

THE STATE OF TEXAS

JOHN CHRISTIAN ROSENTHAL

DEPARTMENT OF THE UNIVERSITY OF TEXAS

AT THE UNIVERSITY OF TEXAS

1900

DEPARTMENT OF THE UNIVERSITY OF TEXAS

AT THE UNIVERSITY OF TEXAS

JOHN CHRISTIAN ROSENTHAL

1900

---

P R O O E M I U M.

---

**E**x eo inde tempore, quo primum animum adplicui ad dissertationis conscriptionem, more majorum et ex instituti academici ratione iis impositam, qui medicorum numero initiari cupiunt, nullum mihi argumentum magis arrisit, quam illud, cujus expositioni paucas hasce plagulas destinavi. Etenim cum benivolentia praeceptorum meorum, grati animi pietate summpere venerandorum, sublevatus, Vindobonae praesertim ophthalmiatriae operam dare potuerim, et redux inde factus non sine feliciori successu ophthalmiatricae praxeos initia deposuerim, etiam ex eadem artis medicae parte hancce dissertationem meam depromere decrevi. Cum praeterea fato felici adjutus de diagnosi morborum, in vitreo oculi humore obviorum, plura nova mihi tradidisset praeceptor meus longe meritissimus, Illustris BEER, Vindobonensis ophthalmiater, cumque ego etiam ex multorum aegrotorum adpectu plura colligerem huc spectantia; peropportunam nactus sum occasionem, nonnulla de morbis humoris vitrei in oculo humano proponendi.

Quorum morborum diagnosin et curam hucusque admodum incertam fuisse, nemo facile infitiabitur, qui ophthalmologorum scripta, vel recentioribus edita temporibus evolvere sit conatus. Praesertim de diagnosi ipsorum magna inter nostrates, medicos praesertim non

ophthalmiatros, locum habebat sententiarum discrepantia, magnumque da parte hujus doctrinae perficienda desiderium. Quam saepe glaucoma cum amaurosi, cataracta glaucomatosa cum genuina lentis suffusione fuit confusa! — Et quanta noxa ex tam manca morborum diagnosi in aegros medicosque redundavit! — Licet igitur juvenile sit opus haec mea dissertatio, et indulgenti medicorum plura expertorum, praesertim vero ophthalmiatrorum judicio indigeat, tamen me primum fuisse, qui de natura et diagnosi morborum in corpore vitreo obviorum separatim quaedam conscribere sit conatus, affirmabunt ii, qui ampla doctrinae cognitione cum animi aequitate conjuncta inter nos splendent.

Seriem quidem morborum exposui, fere semper omnem medici curam eludentium, ideoque expectationem non admodum hilarem medico excitantium, cujus curae tales aegri fuerint oblati. Verum etiam pejora cognoscere interest. Quando medicus recta eorundem gaudet diagnosi, non solum multa evitabit irrita conamina ad aegrotorum sanationem excogitata, vitabit plures et saepe gravissimos morbos, ex inepta laudatorum cura denuo subortos, vitabit etiam sui nominis ignominiam, et a rapidis agyrtae cataractotomi manibus saepe vitam pecuniamque aegroti defendet, qui alias a tali homine utroque bono destitueretur. Ergo non sine summa utilitate quisque, si vel non sit ophthalmiater, adcuratam morborum corporis vitrei diagnosin sibi parabit.

Ad quae, si quid contulerit haec mea disquisitio, omne consecutus sum in ea conscribenda consilium, qui certissime spero, breviori temporis spatio etiam hancce ophthalmiatriae partem magis magisque iri excultum.

---

*Physiologica humoris vitrei descriptio.*

§. 1.

**I**n perscrutatione internarum oculi humani partium humor vitreus summam excitat medicorum attentionem. Latet in intimis quasi organi laudati penetralibus, particulis membranaceis undique circumdatus. Anteriori ejus parti adhaeret lens crystallina cum processibus ciliaribus, posteriorem vero et laterales oculi membranae, eaeque internae, retina praesertim, involvunt. Qualis exterior est oculi posterioris aspectus, talem etiam nobis repraesentaret corpus vitreum, si ab adjunctis partibus separatum et simul penitus illaesum ante oculos versaretur.

§. 2.

Omnes oculi partes, quae regionem bulbi anteriorem et mediam obtinent, perspicuitate magis minusve insigni gaudent, — maximam vero inter omnes illas partes exhibet corpus vitreum, quae tanta est, ut vitrum vel maxime pellucidum ipsa superari videatur. Hinc nomen illius partis pendet, non inepte ab anatomes cultoribus excogitatum.

Ipsa humoris vitrei substantia efficitur tela cellulosa, eaque tenuissima totius corporis humani, quae aqua maxime pellucida undique distenta atque referta massam nobis exhibet molliorem et tactui vel levissimo cedentem, cum tacta telae pars rumpatur et aquam fundat in ipsius ejus cellulis contentam. Ab solo plerumque aquae contentae

pondere hoc etiam fieri solet. Inde fit, ut humor vitreus in altum suspensus mox aquam emittat, cum insigni ipsius materiae, ex qua humor vitreus constat, amissione.

### §. 5.

Attamen telam humoris firmiorem et magis constrictam in extremo ipsius ambitu videmus. Inde eorum sententia pendet, qui membrana singulari, quam *hyaloideam* vocarunt, contineri corpus vitreum contendunt. Cum nunquam fere anatomicis licuerit *hyaloideam* sic dictam eo modo separare, ut sicuti lentis capsula distincte cognosci queat, recentiorum nonnulli, et inter ipsos praesertim *O'Halloran* de ipsius *hyaloideae* in oculo praesentia dubitarunt. Sed neutrum pro certissimo poterit affirmari. Videmus saltem telam cellulosa in ipsius vitri ambitu firmiorem, videmus ex ruptura ipsius prolapsionem humoris, quando lens suffusa extrahitur. Hinc tela cellulosa corpus vitreum ambiens prae reliqua spatium ipsius explente summam sui excitat attentionem, si vel non adsit peculiaris in oculo membrana.

### §. 4.

Varia sunt vasa, quorum ope corpus vitreum nutrirī solet. Partim per processus ciliares in anteriorem disperguntur corporis vitrei superficiem. Partim ramus arteriae centralis retinae corpus vitreum intrat, et ramulos huc illuc spergendo ad posteriorem usque penetrat lentis crystallinae capsulam, eique ramos praebet insigniores. Praeterea foramen illud *Soemmeringii*, quod quidem cum uno recentiorum pro ductu corporis vitrei ad excernendum humorem destinato habere nolim, magni ad systema vasorum in corpore vitreo momenti esse videtur. Etenim *BERRIUS* partialem humoris vitrei obscuracionem in glaucomate

incipiente semper circa illam humoris regionem observavit, quae huic foramini proxima reperitur.

### §. 5.

Nervis destitutum et plane insensibile esse corpus vitreum, anatomes quidem docent praecepta, et variae confirmant observationes in corpore vivo factae. Verum enim vero partes totius oculi maxime sensibiles, maximaque nervorum copia instructae totum includunt et ambiunt corpus vitreum, et inde jam intelligi poterit, cur pars intra limites organismi vividi atque sensibilis retenta et ipsa partis nervis instructae ad instar vivat, nec vitia aut errores formae demonstret, parti animali plerumque proprias, quae nervis destituta sola gaudet vi denuo amissa producendi.

### §. 6.

Utilitas humoris vitrei summa est in oculo animali. Prae caeteris est ea oculi pars, quae omnem bulbum ejusque membranas extendit, ut ita oculi forma confirmetur, quae ad percipiendos luminis radios et ad justum totius oculi nutrimentum est necessaria, cum partibus singulis oculi collapsis, praesertim iis, quae ad systema irritabile pertinent, etiam vasorum compages maxima ex parte destrueretur. Corpus vitreum eadem ratione etiam retinam extendit, ipsoque elapso haecce praecipua oculi membrana corrugatur, visusque facultas ita perit, ut miser aegrotus vix luminis retineat sensum.

### §. 7.

Luminis praeterea radiis pars laudata introitum ad retinam liberrimum praebet atque uberrimum. Depravata ejus natura etiam debilita-

tam aut adeo extinctam esse visus facultatem animadvertunt. Glaucoma perfectum omnem quoque in aegroto videndi aufert facultatem, partiale seu incipiens eam maximopere debilitat. Humoris autem vitrei dissolutio licet visum non omnem auferat, aegroto tamen variam creat molestiam, cum visus conjunctam hebetudine.

### §. 8.

Corpus vitreum, sicut omnia organa, quae sola vi reproductiva sunt instructa, facultate illa gaudere videtur, qua laesiones gravissimas sine multo damno ferat atque sanare soleat, modo vasa manserint illaesa, quae huic parti adferunt nutrimentum. Talis vitrei corporis laesio locum habet in cataractae reclinatione vel depressione. Magnum ibidem vulnus infligitur, nec tamen, nisi magis sensibiles una laedantur oculi particulae, gravius et valde noxium inde damnum exoritur. BEERIUS adeo viderat in hominis oculo, in quo ante septem et quod excurrit annos depressio cataractae felici successu fuerat peracta, lentem non ex situ suo amotam, verum totum humorem vitreum ita inversum, ut anterior ejus superficies cum lente inferiorem bulbi marginem tangeret, superior in anteriorem, posterior in superiorem partem esset mutata. Attamen homo ad mortem usque visu gavisus erat nec nutritio humoris vitrei ulla ratione sic fuerat laesa, ut vel atrophiam ejus aut synchysis vel glaucoma operationis laudatae essent effectus.

### *De morbis vitrei humoris in universum spectatis.*

### §. 9.

Corpus vitreum, in intimis quasi oculi penetralibus haerens, morbosam tantummodo portendit affectionem, quando reliquae oculi par-

tes magis vel minus affectae conspiciuntur. Etenim externa ad morbum incitamenta hanc solam oculi partem reliquis adhuc integris adficere nequeunt, iis plane non expositam, — interna vero tantum per partes corpus vitreum circumdantes, illud secernentes, nutriendes, et vim vitalem quasi ipsi instillantes agere valent. Quarum tantummodo jactura etiam morbum humoris parat vitrei.

§. 10.

Uti jam supra demonstravimus, arctissima intercedit humori vitreo cum corpore ciliari conjunctio, ut ita haec principalis pars omnium organorum oculi irritabilium, praecipua omnium morborum sedes habeatur, qui cum systematis in oculo irritabilis affectione et jactura conjuncti apparent. Hinc igitur conjici potest, sine systematis irritabilis labe etiam nullum humoris vitrei morbum locum habere posse, — id quod etiam experientia luculentius comprobavit.

§. 11.

Omnis morbus in humore vitreo conspicuus symptomata exhibet, ex ipsa humoris vitrei ratione explicanda. Cum omnis desit partis laudatae sensibilitas, et cum tantummodo vis ipsi insit, quae vulgo reproductiva dicitur, et quae ipsius virtutes sub sensus cadentes (mechanicas) dirigit atque constituit, etiam reproductionis vitia praecipuum et unicum semper exhibere solent morbi genus, ex quo vitia coloris, firmitatis seu cohaerentiae, et quantitatis seu copiae fere omnia pendent.

§. 2.

Cum nulla alia ratione in vivo homine humoris vitrei morbus cog-

noscat, quam ex laesione facultatum ipsius sensuum ope dignoscendarum, — etiam fundamentum dividendi inde pendeat necesse est. Etenim adsunt *vitia coloris*, — si corpus vitreum naturalem sibi perspicuitatem vel ex parte vel totam amisit, *vitia firmitatis* seu *cohaerentiae*, — si tela ipsius cellulosa magis minusve diminuta, mollior fit humor, et *vitia quantitatis* seu *copiae*, quando corporis vitrei ambitus, si ipsum cum illo totius bulbi comparaveris, aut nimium quantum augetur, aut praeter modum imminuitur.

### §. 13.

Morbis prioris ordinis adnumeratur *Glaucoma*, seu obscuratio humoris vitrei et *Cataracta hyaloidea* et *arachnoidea*, quae utraque anteriorem tantummodo superficiem corporis vitrei occupans, partialis tantum vocari meretur. Ad secundi ordinis mala prae caeteris *Synchysis* seu dissolutio humoris vitrei referri potest, quae modo perfecta, modo partialis tantum reperitur. Ad tertiam denique classem *Hydrops oculi ex humore vitreo pendens*, et *imminutio ambitus corporis vitrei* pertinere videntur. De quibus jam singulis uberius enarratio in sequentibus locum habebit paginis.

### *De Glaucomate.*

#### §. 14.

Morbis laudatus nomen accepit a colore humoris vitrei, quo sub ipso morbi initio infici solet, et qui pedetentim auctus multo facilius dignoscitur. Talis est, qualem Graeci *γλαυκόν* vocarunt, et qui colorem designat ex viridi, caeruleo et albo mixtum. Proprie quidem secundum DAMMII sententiam in Lexico Homericō *γλαυκός* notat colorem

ex caeruleo et albo commixtum, v. g. *γλαυκή θάλασσα*, *Iliad. Π, 34.* Tribuitur porro talis color et arboribus nonnullis, oleis et ficibus, ut ergo etiam viride quid insit huic colori.

§. 15.

Variae extant hujus morbi causae. Reperitur praesertim in hominibus ista systematis irritabilis debilitate praeditis, quae plerumque sub dispositionis arthriticae nomine inter nos celebratur, et quae variis occasionem praebet morborum speciebus. Modo enim cum insigniori abdominis, modo cum cutis, modo cum excretionum debilitate junctae sunt, modo sub arthritidis nomine inter nos occurrunt, modo etiam excretionum vitiis, haemorrhoidum fluxu, ulceribus pedum, impetiginibus, calculo et vitiis viarum urinalium cognoscuntur. Num omnia haec mala vere sint arthritica, uti plerumque dictitant, non pro certo affirmare audeo, cum sola jam fibrae irritabilis laxitas ad causam hujus phaenomeni explicandam sufficiat. Praeterea etiam glaucoma ex sola senectute, — ex sola porro fibrarum oculi debilitate vel in junioribus originem ducit. Modo ophthalmia antecedit, quae ad arthriticam naturam accedens celeriore originem praeparat, modo etiam sine morbo oculi inflammatorio lente suboritur malum.

§. 16.

Si illud ophthalmia arthritica comitatur, tum origo morbi sub symptomatum talis ophthalmiae augmento cognoscitur, et glaucoma magis magisque distinctum apparet. Jam sub initio morbi varices adsunt in conjunctiva bulbi, quae magis magisque augentur, donec tandem omnia fere conjunctivae bulbi vasa conspiciantur varicosa. Con-

currunt undique ad marginem corneae scleroticae junctae, ubi secretam quandam externarum oculi partium conjunctionem cum corpore ciliari locum habere varia demonstrant symptomata, praesertim in ophthalmiis arthriticis et venereis conspicua. Vasa varicosa ad marginem istum undique concurrentia orbiculo albide caeruleato a cornea sic separantur, ut nullum vas varicosum ex scleroticae conjunctiva in illam bulbi extendatur. Mox etiam vasa iridis ampliata conspiciuntur. Et enim color hujus membranae striis et punctulis obscurioribus immutatur, varicum praesentiam annuntiantibus, et pupilla formae mutationem subit paullo post describendam.

§. 17.

Dolor praeterea ophthalmiam comitatur, arthriticam ejus naturam praenuntians. Non, uti in venerea, marginem tantummodo supra-orbitalem, sed omne oculi affecti latus in facie occupat, totumque per caput ad os occipitis usque extenditur. Nunc augetur, nunc imminuitur, praesertim sub celeri mutatione temperiei, et ex calore lecti, ubi ad furorem aegroti usque accrescit. Sub initio morbi imprimis per longius temporis intervallum abest. Paullo post diutius ille dolor persentitur, — et sub quovis ejus accessu symptomata glaucomatis augentur, magisque distincta apparent. \*)

§. 18.

Sub primo doloris in oculo arthritici accessu symptomata glaucoma-

\*) Longius ophthalmiae arthriticae decursum enarrare, hujus disputationis limites non permittunt. Alio loco nobis uberius ejus occasio suppeditabitur, cum libello conscribendo simus occupati, de morbis oculi humani inflammatoriis agente, qui et decursum, et phaenomena et diagnosin singularum oculi inflammationum, uti recentior Schola Vindobonensis ipsas docuit, accuratius et uberius explanabit.

tis sese manifestare incipiunt. Nigror pupillae imminuitur, in posteriore et media bulbi parte distincte videmus leviolem obscurationem, quae sub longiore morbi decursu, aptisque romediis non adhibitis, magis magisque accrescit, et non sine viriditate nigricans, aut obscure cana cum aliqua viridis coloris admixtione adparet. Tamen non tanta animadvertitur obscuratio, qualis adest lente obscurata, cum tela cellulosa humoris vitrei non tam constricta sit et densa, qualis est in ipsa lente crystallina, eamque ob causam lente in oculo adhuc integra vel perfectum glaucoma per se non talem efficiat pupillae obscurationem, qualem ex quavis cataracta ortam observamus.

## §. 19.

Aliud praeterea restat signum glaucomatis pathognomicum ex forma pupillae immutata pendens. Etenim ad utrumque oculi angulum elongatur, uti illam in animalibus ruminantibus observamus. Periculum explicationis hujus phaenomeni admodum obscuri in libello meo de oculi inflammationibus proponam, ab illa KIESERI admodum diversae.

## §. 20.

Visus facultas una pedetentim imminuitur, donec illa penitus sit abolita. Muscarum volitatio praecedat, et sub cita morbi origine etiam visus hebetatio celeriter accedens aegro non amplius res sibi objectas distincte discernere permittit. Tandem vix lumen dignoscit, donec cataracta viridi una suborta etiam luminis pereat sensus.

## §. 21.

Cum lens crystallina vasa accipiat nutrientia ex corpore ciliari et

ex hyaloidea, vides inde, cur morbus utriusque partis etiam lentem una adficere possit. Lens sub pleno glaucomatis malo incipit obscurari, donec tandem penitus suffusa morbi genus exhibeat, ab recentioribus cataracta glaucomatosa, a veteribus cataracta viridis vocatum. Signa extant varia, quibus ejusmodi malum a cataracta vera et sincera distinguitur.

Etenim praeter symptomata paullo ante laudata, varices oculi, pupillae immutationem et dolores eam cataractam comitantes adest color lentis obscuratae, ab illo sincerac cataractae longe abhorrens. Cum sive viridis et simul albescens esse, aut saloris colorem referre sive plane viridis esse videatur.

#### §. 22.

Praeterea ejusmodi lentem obscuratam occupavit admodum aucta vis reproductiva, quae cataractae glaucomatosae ambitum magis magisque augendo formam ejus sic distinctam reddit, ut facillime cognoscatur. Explet pedetentim cameram oculi posteriorem, intrat deinde per pupillam in ipsam cameram anteriorem, marginem iridis sic reprimendo, ut iris tandem penitus fere evanescat, et camera anterior lente expleatur. Quibus peractis atrophiam oculi accedit, quo morbo organon valde destructum penitus fere evanescit, orbita ex parte vacua redditur concavaeque fiunt palpebrae.

#### §. 23.

Quando talem cataractam inscius quidam vel agyrta extrahere conatur, sive una cum cataracta effluit humor vitreus, sive hic solus e bulbo emittitur, cataracta in oculi cavo remanente — et simul exoritur vehemens sanguinis ex varicibus laesis profluvium, quae omnia

effectum operationis plane inanem reddunt. Vel si quis per depressionem cataractam amovere velit, vehemens oritur haemorrhagia, corneae vulnere modo sedanda, inflammatio tam gravis, ut non solum omnis visus extinctio, oculique atrophia, verum etiam, si gravius inde malum oriatur, bulbi totius in scirrhum et in cancerum mutatio hanc excipiant operationem.

#### §. 24.

Sed redeamus ad glaucoma nostrum. Quando sine affectione oculi inflammatoria, ex sola fibrarum ejus debilitate originem ducit, longiori passu incedit malum, nec tanta celeritate hominem visu destituit. Muscarum volitatio ante oculos animadversa etiam tunc initium mali comitatur. Plerumque crebrae oculi inflammationes aut visus per nimiam oculi intensionem debilitatio aut excretionis unius alteriusve turbatio praegressa mali originem medico omnia perscrutanti clariorem reddunt. Lentis ex tali glaucomate immutatio rarior est, ob decursum morbi magis chronicum, aut saltem sero tantum accedit. — Similia afferri possunt de glaucomate in corpore senili locum habente. Vidi illud ita auctum, ut jam levior lentis crystallinae obscuratio adesset. Lentus autem erat mali progressus, cum anni totius atque dimidii spatio haecce lentis obscuratio sine insigni morbi augmento adesset.

#### §. 25.

Tali modo glaucoma facillime ab omni alio oculi morbo, ab amaurosi praesertim, quam multi cum glaucomate commiscuisse videntur, distingui poterit. Status oculi in corpore senili restat, cum glaucomate facile confundendus, cum idem pupillae color adsit ex pigmento nigro retinae superficiem non amplius obtegente. Sed visus una integer

restat, et pupilla oculi, quod formam attinet, parum mutata reperitur. Interdum et haec, sicut illam glaucoma exhibet, in senibus quoad formam est distracta. Sed una desunt varices et in conjunctiva et in iride, iridis color canescit, sclerotica est durior, cutis pergamenae instar, et visus facultas maxima ex parte integra. Effectus sunt senectutis singulares in oculo, cum vasorum actio magis magisque imminuatur, laxitatis tamen morbosae expers sit oculus humanus, et tantummodo rigidae fiant ejus fibrae.

§. 26.

Nondum certum est, num sedes obscurationis in oculo sola sit tela cellulosa humoris vitrei, an aqua in tela cellulosa haerens, an perspicuitas utriusque et telae cellulosae et aquae sit imminuta. Sectiones oculorum crebriores etiam haec reddent certiora. BEERIUS in oculo glaucomate affecto summam obscurationem videbat circa foramen retinae Soemmeringii, ut ita vel in levissimo morbi gradu regio humoris vitrei circa illud paullulum sit perspicuitate pristina destituta. Phaenomenon istud saepius observatum, uberiolem nobis exhibebit occasionem de natura et ratione morbi plura cogitandi, et sic etiam curam ejus proponendi feliciorlem.

§. 27.

Haec igitur de ratione, aetiologia et diagnosi huius morbi proponenda erant. Quae vero curam et prognosin spectant, breviorlem modo exigunt enarrationem. Prognosis semper infausta, si jam perfectum glaucoma oculum occupavit, aut si chronico initium ejus incedit decursu, cum utrumque nullo modo possit sanari. Morbi acuti progressus tantum initio impediri possunt, — omni alia cura propter morbi gra-

vitatem irrita. Si dolores in ophthalmia arthritica morbum et ipsum glaucomatis initium comitantes aptis remediis opprimuntur, si laxitas vasorum oculi calore sicco aut etiam aromatico imminuitur, si denique sublata inflammationis vehementia et universali morbo inde pendente, leviora antiarthritica cum volatilibus, et deinde roborantia exhibentur, sperare licet, fore, ut obscuratio corporis vitrei, nisi novus morbus denuo accedat, non amplius angeatur. Num vero obscuratae ipsius parti denuo perspicuitas sua reddi possit, jure meritoque dubitamus. Simili modo prognosin minus faustam et omnium remediorum usum ventantem animadvertimus in glaucomate in oculo debiliore et sine ophthalmia arthritica suborto. Etenim causae nimis occultae altius latent, quam ut ulla ratione removeri possint.

*De Cataracta hyaloidea et Cataracta secundaria arachnoidea.*

§. 28.

Sub Cataracta hyaloidea intelligunt obscuracionem anteriorem hyaloideae superficiem occupantem, quae capsulae posteriori lentis in statu naturali inhaeret. Cum ad diagnosin ejus lente in oculo praesente summa lentis perspicuitas requiratur, illa vero in casu per se raro rarissime integra sit, et omni opacitatis vitio orbata, cognoscitur, uti jam RICHTERUS admonuit, lente demum extracta ex obscuracione adhuc residua. Sed interdum capsulae posterioris morbus cum illo hyaloideae permixtus videtur, cum et hyaloidea et capsula posterior una sint affectae. Quapropter ante omnia tali in casu inquirat medicus in lentis extractae formam atque statum, num capsula una adsit an non.

In casu demum priori cataractam vere hyaloideam adesse poteris adfirmare.

§. 29.

JANINUS nunquam talem viderat, sed YVESIUS ipsius primam et distinctam injicit mentionem. MOHRENHEIM alique recentiorum de novo observarunt casus cataractae hyaloideae — qui licet rariores, tamen nos te praesentia cataractae hyaloideae certiores reddiderunt. Jam MOHRENHEIM ipsam lente remota ope unci sui extrahere studebat. Verum enim vero non perfecta ipsius eo fit destructio, cum perpauca pars membranae obscuratae una exeat. Quod quidem feliciori successu peragitur ope unci Beeriani ad extractionem capsulae posterioris praeparati. Illum immissum chirurgus repetita vice circum agit, donec maximam unci ramulo membranae obscuratae ceperit partem, quam deinde cauta manu cum unco extrahat, ne ejus ramulo iris laedatur aut gravior exoriatur humoris vitrei prolapsus.

§. 30.

Hactenus de rariori cataractae hyaloideae casu, per se ex nutrimenti vitio originem ducente. Multo frequentius autem reperitur cataractae hyaloideae genus, quod et cataracta arachnoidea vocatur, cum fibrae opacae observentur telae aranearum persimiles, et anteriorem hyaloideae partem occupantes. Obscuratio tali in casu non completa, sed ex parte tantum animadversa visum operatione recuperatum non tollit, sed tantummodo imminuit. Genus cataractae secundariae jure meritoque vocatur, cum et eundem teneat locum, quem olim cataracta obtinuerat vera, cum simile exhibeat visus impedimentum, et cum antea lente et capsula praesente non adfuerit.

§. 31.

Quo minus vero error accedat in diagnosi, videat ophthalmiater lente extracta, num capsula posterior una sit egressa. Qua quidem in oculo relicta, obscuratio hanc occupat, nec morbi genus adest, de quo nunc nobis sermo erit. Capsula demum extracta, obscuratio originem ducit ex exsudatione lymphatica per inflammationem oculi internam in externa hyaloideae superficie suborta. Malo sat vehementi morbus una ad iridem usque extenditur et fibrae lymphaticae hyaloideam jungunt cum superficie iridis posteriore, ejusque diminuunt aut penitus tollunt mobilitatem.

§. 32.

Ratio curae tantummodo in obscurationis hyaloideae seu fibrarum istarum amotione nititur. Nisi ophthalmitide cessante etiam una cessat ista obscuratio, id quod interdum observavere, sola operatio visum restituet. Extractioni non locus dabitur tali in casu, si vel Franco-gallorum nonnulli ipsam commendare sint ausi, — cum et difficile sit instrumento per vulnus corneae immisso fibras arripere obscuratas et una extrahere aut destruere, et simul timenda sit nova et iterata oculi inflammatio, quae et novam ejusmodi cataractam secundariam exciteret, et si gravior casus incidit, in oculo per se jam debilitato tristiozem efficeret morbi mutationem. Depressio sola tantummodo visum restituet.

§. 33.

Tali autem modo peragitur. Acu, uti in depressione cataractae in bulbum immissa, pro ratione fibrarum, quae illi malo originem de-

derunt, istas acu dissecare, et deinde deprimere studemus. Si vel fibrarum per se tenuium particulae denuo exsurgant, id quod in illo casu fere evitari non poterit, quando impedimenta visus mechanica non ope reclamationis Willburgianae, sed ad modum depressionis veterum amovemus, — tamen hoc non irrita reddet ophthalmiatri conamina, cum vi quadam absorbente tales obscurationis reliquiae mox extinguantur.

*De Synchysi, seu dissolutione humoris vitrei.*

§. 34.

Sub Synchyseos seu dissolutionis corporis vitrei nomine morbum comprehendimus, qui ex summa tantum pendet oculi debilitate ab ophthalmiis praegressis et male curatis suborta. Atrophia adest telae cellulosae humorem vestientis et cellulosa ipsius interstitia includentis. Aqua tantum remansit in ipsius cellulis contenta, ita quidem, ut sub finem morbi et in summo ejus gradu sola sit reliqua in oculo, et bulbus vesicae aqua refertae persimilis habeatur.

§. 35.

Varii inveniuntur morbi gradus, qui omnes et singuli nunc erunt describendi. Synchysis modo est perfecta, modo non perfecta, — et atrophia telae cellulosae humoris vitrei est modo simplex, modo cum atrophia totius bulbi conjuncta.

§. 36.

Dissolutionem humoris vitrei perfectam adpello illam, quae extincta omni tela ejus cellulosa suboritur. Non solum cellulae interiores

evanuerunt, sed etiam exteriores seu hyaloidea dissoluta et vi vasorum absorbente recepta reperitur. Diagnōsis mali non admodum est difficilis. Mollis attactui cedit sclerotica, et cum humor aqueus cum aqua humoris vitrei sit conjunctus, utraque evanuit oculi camera et iris arcte adposita est superficiei corneae internae. Forma exterior bulbi etiam tum insigni modo immutata reperitur, ut neutiquam possis sub primo mali intuitu in diagnosi errare, si semel recte videris. Etenim eminentia, quam cornea in oculo sano format, penitus evanuit, bulbi anterior superficies minus convexa conspicitur, bulbusque totus vesicae planiori similis esse videtur.

### §. 37.

Recte conjicitur, lentem tali in casu una esse dissolutam et cum massa telae cellulosaē in interiore oculo plus minusve extinctam. Visus etiam laesus est, sed non tantopere, ut quidem timendum erat. Nisi alia una adsint in oculo mala, quae orta a causae morbum producentis vehementia visum aut magis aut minus intercludunt. Sic vidi cataractas cum synchysi perfecta junctas. Attamen una aderat pupilla vel maxime angustata et fere immobilis, lens suffusa simul atrophica erat facta et ad exiguum volumen imminuta, quae varie iridi per exsudationem adhaerebat. Luminis sensus aut visus quaedam facultas plerumque simul erat relicta, — ut adeo hominem viderim, qui cum quadam oculi intentione litteras bene et distincte legere et scribere posset. Aderat tamen cataracta tanto atrophiae gradu affecta, ut interstitium quoddam tenue locum haberet, inter cataractam et marginem iridis interiorem, quod luminis radiorum accessum levabat.

## §. 38.

Synchysis non perfecta adest, si interior modo tela cellulosa humoris vitrei evanuit, exterior autem, seu sic dicta hyaloidea integra adhuc remansit. Interdum talis remanet, nec oculi ulterius laeduntur, interdum vero in synchysin perfectam transit morbus.

Cognoscitur malum ex mollitie bulbi, quae vero non tanta est, quanta in synchysi perfecta. Iris non corneae interiori adposita conspicitur, sed pristinum retinet in oculo situm. Anterior oculi camera cum posteriore integra restat. Cataracta si una adfuerit, paullo longius remota videtur, si attente eam adspexeris, quam statu in naturali observatur. Nisi una hancce synchysin comitentur aliae oculi affectiones, visus integer fere restat, et aegrotus nescit, ipsum morbo oculi tam gravi laborare.

## §. 39.

Plerumque atrophia oculi vitrei corporis dissolutione affecti una adest. Volumen ipsius pedetentim imminuitur, donec tandem penitus fere evanescat. Vidi tamen oculos morbo laudato laborantes, qui non atrophici videbantur. Quapropter concludendum erit, non semper oculi totius atrophia synchysin excitari, sed interdum etiam illam antecedere, et nisi causa ipsius sit, tamen a causa synchysin producente etiam pedetentim oculi atrophiam adduci.

## §. 40.

Haec de diagnosi synchyseos, — nunc ad causas morbum gignentes progrediendum erit. Quarum ad gregem omnia ea erunt referenda, quae organa, quibus secretio atque nutrimentum humoris vitrei pera-

gitur, turbare et vim ipsorum vitalem diminuere valent. Inde videmus, cur corporis ciliaris ejusque ramulorum affectio prae caeteris occasionem huic morbo praebet. Crebrae inflammationes, praesertim illae, quae cum systematis irritabilis in oculo jactura conjunctae apparent, praecipuam constituunt morbi causam. Arthritica igitur ophthalmia, nisi in glaucoma transierit, prae caeteris synchysin parabit.

§. 41.

Mercurialium praeterea usum et abusum etiam causam dissolutionis humoris vitrei habuerunt. Num morbosa vasorum absorbentium affectio, remediis laudatis procreata tale quid in Oculo tantum efficiat, nondum certe definire audeo, cum etiam ratio mali morbum totius systematis lymphatici requirat, et similes in toto corpore ejus effectus. In homine, qui saepius jam malo gallico laboraverat, et cui insignis mercurialium copia fuerat suppeditata, re vera vidi partialem humoris vitrei dissolutionem. Uberiore vero experientia destitutus nondum certiora de hujus sententiae veritate adferre possum.

§. 42.

Quamvis cura mali perfecti et non perfecti nulla fere locum habeat, tamen prognosi non tam tristi indiget, quali aegrum glaucomate affectum interdum terrere cogitur medicus. Nisi morbus in oculo alius adsit, videt aegrotus et per longius temporis spatium videbit, nisi aliud accedat in oculo malum. Tristior est prognosis, si atrophia oculi una adest. Etenim sub finem visu aegrotus destituetur. Prognosis etiam minus fausta est in atresia iridis morbum comitante aut cataracta praesente, nisi haec quoad volumen imminuta aut atrophica visus facultatem quodammodo restituere valeat.

## §. 43.

Ex rebus modo adlatis facile concludendum erit, curam synchysios prophylacticam tantummodo locum habere posse. Caveat sibi aeger, caveat sibi medicus, ne synchysis non perfecta in perfectam abeat, et ne alia in oculo per se jam debili mala exoriantur. Prae caeteris novam vitet aegrotus oculi inflammationem, quae inevitabile pararet mali augmentum. Omnes igitur causae ophthalmiam adducentes erunt vitandae. Aeger abstineat a nimio oculi usu et vacationem ipsi concedat, si per aliquod temporis spatium ipso fuerit usus. Nimium vitet luminis fulgorem in oculo repercussum, vitet visus intentionem quamcunque diluculi aut noctis tempore. Vitet praeterea refrigerationem cujusvis generis, crebras istas ophthalmiarum causas, vitet omnia, quibus ut sanguis ad oculos adfluat, efficitur. Quae cum saepius ex abdominis regionibus originem trahant, ad systema venae portarum imprimis respiciendum erit, ut ibi omnia sanguinis transituri impedimenta, quam optima ratione fieri possit, removeantur. Dispositio ad arthritidem nisi simul quavis ratione tollatur, tamen levetur necesse est, ne nova exoriatur oculi inflammatio arthritica, quae certe visus facultatem adhuc superstitem amoveret. Praeterea emplastrum vesicans, idque perpetuum, ad utrumque processum mastoideum positum, insignem adferet aegris utilitatem.

## §. 44.

Num etiam firmitas telae cellulosae in humore vitreo aucta in oculo adesse possit, nondum certa comprobavit experientia, nec illud variis ex causis verosimile videtur. Etenim haecce tela nimis tenuis et laxa reperitur, quam ut firmitas quaedam in ipsis ejus membranis sen-

suum ope detegi queat. Varia, quae anatomicorum nonnulli, praesertim HALLER et SCARPA de ossificationibus, ut hoc verbo satis barbaro utar, in bulbo oculi inventis proposuerunt, conjicere nos jubent, naturam, si vel ejusmodi nutrimentorum errores admittat, semper exteriores et duriores oculi membranas, easque, in quibus materia quaedam firmior fecernitur, sibi sedem ejusmodi actionis abnormis destinare.

*Hydrops oculi ex humore vitreo.*

§. 45.

Minus naturalem humoris serosi aut aquosi per vasa exhalantia excreti collectionem intra limites corporis vivi factam hydropis nomine distinxerunt artis nostrae periti. Causae hujus phaenomeni per se jam multiplicis admodum diversae reperiuntur, et saepissime series aliorum morborum, qui praecesserunt, hydropis originem constituebat, qui per se jam difficilis curatu eo majora medico opponebat impedimenta, quo certiore solus jam morborum fere insaniabilium effectus adducat vivi corporis dissolutionem.

§. 46.

Sicuti ratio partis hydrope affectae differens varium constituit hujus morbi genus, id quod etiam nominis differentiam in systemate pathologico efficere solebat, ita idem etiam in hydrope oculi, seu hydrophthalmia reperitur. Etenim modo aquae accumulatio in camera anteriore et posteriore observatur, et tunc hydropem ex humore aqueo adesse contendunt, modo in cellulis humoris vitrei, et tunc morbus

exoritur, cujus descriptio nunc proponenda erit, modo etiam aquae collectio locum habere solet, ex utroque malo originem ducens.

§. 47.

Hydrops oculi ex nimia aquae in camera utraque collectione rarissime observatur, uno eoque singulari casu excepto, quem bis vidi. In infantibus, qui ophthalmia neonatorum laboraverant, et qui male et per vetulas aut medicos inscios curati, gravissimum ejus morbi genus fuerunt perpassi, corneae anteriores laminae superficiali exulceratione sic destructae erant, ut non amplius humoris aquei, qui forte ob noxios ophthalmiae praegressae effectus nimia copia secernebatur, vim sustinere, et intra fines legitimos camerae anterioris retinere possent. Quamvis igitur cornea ex parte perspicua maneret, sanato ulcere ejus universali et ophthalmia, quae praegressa illud produxerat, tamen mox suborta est aequalis hujus membranae expansio, per accumulatum humorem aqueum ita quidem facta, ut in ipsius corneae margine undique fines cicatricis detegerentur, universali ulcere factae.

§. 48.

Morbum huncce insanabilem unus ophthalmiatrix pro staphylomate vendiderat. Sed notionem hujus morbi plane aliam esse, alio loco forsitan uberius exponam. Majori jure ceratocele universalis vocari posset. Sed non solum ceratocele aderat, sed una hydrops oculi ex nimia humoris aquei secretionem facta. Unus aegrotorum meorum tali in casu per marginem pupillae ex obscurato corneae loco prominentem colores diversos, sed nil aliud cognoscere poterat. Vis reproductiva in infantibus adhuc major tali in casu impediverat, ne ruptura corneae

exoriretur, in tam gravi ejus extensione expectanda. Num in sanatione hujus mali medicus aliquid proficere possit, vehementer erit dubitandum.

§. 49.

Sed transeamus ad hydropem humoris vitrei et ad causas illud morbi genus producentes. Varia inveniuntur, quibus originem hydropis tribuere poterit medicus. Modo praecedunt ophthalmiae, praesertim universales totumque bulbum afficientes, modo laesio capitis aut temporum et frontis in vicinia orbitae facta, modo vehementes capitis dolores, sub quorum finem morbus oculi exoritur, modo alia quaevis actio in corpore abnormis, qua finita mali cernimus primitias. Sic tineam capitis retrogressam, variasque praesertim faciei impetigines accusarunt.

§. 50.

Ex causarum graviorum contemplatione duo praecipua in oculum incurrunt vitia, quae proximam morbo occasionem praebent. Etenim hydrops oculi modo a secretionem abnormi suboritur. Ejusmodi casus incidunt, quando post phrenitidem, aut rheumaticos vel arthriticos capitis dolores ophthalmia, et cum hac bulbi inflammatione simul hydrops oculi apparet. Quem cum veterum schola hydrophthalmiam acutam vocare liceat. Modo etiam malum a systematis vasorum absorbentium paralyti pendere videtur. Talis est hydrophthalmia ex ophthalmiis praegressis, ex vulneribus, contusionibus bulbi aut partium ipsi vicinarum orta.

## §. 51.

Utraque causa una adesse ita quidem potest, ut prior semper sit praegressa, atque tantummodo alterum genus sub finem accedat, si nempe paralysis vasorum ob nimiam exoritur aquae in bulbi cavo collectionem. Sed sub initio hydrophthalmiae cujuslibet una vel altera causarum adlatarum adest, nec, si in ipso morbi initio aegrotus medico committitur, cura morbi, si causam recte tetigeris, aliena erit ad infringendum ipsius impetum.

## §. 52.

Diagnosis etiam utramque causam sub ipso mali initio apertam declarabit. Etenim, si prior adest causa, semper fere inflammatorius bulbi totius status in origine subest mali, cum valido dolorum cruciatu, et morbus insigni progreditur celeritate. Sin sola vasorum lymphaticorum paralysis accusatur, variae et praegressae et praesentes conspiciuntur causae, ipsorum paralysin adducentes, dolores et ophthalmia desunt, incrementum morbi admodum lento incedit gressu, et causae actionis morbosae in uno alterove organo suppressae desiderantur.

## §. 53.

Symptomata morbi haecce fere observantur. Aegrotus de tensione quadam in oculo queritur, per longum temporis spatium locum habente. Citius seriusve apparet ambitus bulbi auctus, cum ipso doloris extensione orti incremento, et oculi duritie, si illum digito tetigeris. Motus bulbi et palpebrarum antea liber et immutatus incipit imminui, tardiorque fieri. Sub initio visum fere integrum habent aegri, pedetentim vero decrescit, donec tandem sub finem mali luminis modo

sensum habeant superstitem, id quod ex laesione et distractione omnium oculi organorum per aquam facta pendere videtur.

§. 54.

Si humoris vitrei hydropem tantum observamus, mali diagnosis facilius erit. Etenim iris corneae arcte adposita est, id quod in hydrophthalmia ex humore aqueo, aut in illa, quae incrementum utriusque humoris exhibet, rarissime vel plane non observatur. Praeterea ambitus scleroticae illa in regione undique prominet, ubi in eo est, ut corpori ciliari et corneae jungatur, et ubi gravissimae oculi partes inter se copulatae sibi vicinae conspiciuntur. Ibidem circulum vides ex ambitu humoris vitrei in sclerotica auctum, cujus ope forma oculi exterior paullulum immutatur. — Quae ambo signa hydrophthalmiam ex humore vitreo prae caeteris cognoscere jubent.

§. 55.

Varii praeterea extant hujus mali gradus. Levissimum vides in multis senum oculis, quorum bulbus paullulum prominet, et excepta prominentia quadam nihil exhibet morborum. Malum non augetur, major tantummodo copia aquae in cellulis humoris vitrei secreta haeret. Quapropter etiam nihil contra illud morbi genus est suscipiendum. Cautionem tamen adhibeat medicus, si in ejusmodi homine cataractam operatione amovere cogitur. Reclinatione utatur tali in casu. Quando enim extractione uti velis tali in oculo, praesertim sub vehementi musculorum oculi actione humoris vitrei prolapsio evitari non poterit, quae modo partialis, modo perfecta, graviora semper objicit feliciori eventui impedimenta. Ipse experientia edoctus hancce propono regu-

lam, cum in tali aegroto, cui lentem extrahere conabar, prolapsus humoris vitrei partialis non sine detrimento oriretur.

§. 56.

Secundus morbi gradus idem fere est, si majus aquae incrementum exceperis. Habes propterea circulum istum scleroticae prominentem, qui omnem ambit corneae marginem. Morbus jam visui varia opponit impedimenta, aegroti de quadam visus hebetudine conqueruntur, et illa praesertim sub vespere aut oculis per aliquod temporis spatium nimium intensis suboritur. Si hydrophthalmia tantopere jam aucta fuerit, medicus non lentus sit mali spectator, sed omni ratione studeat mali suppressere incrementum.

§. 57.

Tertium denique morbi gradum vocamus, quando summa exoritur bulbi extensio, visus magis magisque debilitatus reperitur, et omnia extant symptomata, maximam morbi vehementiam indicantia. Probabile videtur, cellulas humoris vitrei vi aquae mirum quantum extensas tali in morbi gradu ruptas maxima ex parte aboleri, et sic eandem formam induere morbum, qualis est hydrophthalmiae ex humore aqueo ortae.

§. 58.

Quando nunc apta remedia neutiquam adhibentur, non solum oculum homo amittit, sed etiam alia accedere valent mala, mortem ipsi accelerantia. Bulbo mirum quantum extenso, cornea tandem rumpitur, et omnem effundit aquam in ipsius oculi cavo retentam. Exitus tunc diversus invenitur. Modo aqua vulnere oculi sanato iterum

et multo majori cum celeritate accumulatur, uti in ascite post paracentesin abdominis factam saepius observamus. Aqua denuo accumulata bulbus iterum ruptura corneae evacuatur. Sic in fine modo atrophicus fit oculus, et penitus tandem evanescit, — modo etiam, si pejus exitium aegrotis imminet, in fungosum corpus mutatur bulbus, quod scirrhi admittens naturam citius seriusve atrophica non accedente sub novo morbi irritamento in cancrum abit ulcus et sub consuetum hujus mali decursum vita destituit aegrum multis cum doloribus conflictantem. Interdum et cariem ossium orbitae cum nimia bulbi per hydrophthalmiam extensione conjunctam medici conspexerunt.

#### §. 59.

Infausta maxima ex parte, si primum genus hydrophthalmiae ex humore vitreo exceperis, prognosis erit adnuntianda. Etenim causae morbum producentes cum tanta singularum bulbi partium atonia et vasorum ejus paralysi conjunctae conspiciuntur, ut vix ac ne vix quidem opem ferre queat medicus. Ergo tunc fere semper incerta aut infausta medicus praedicabit de visus facultate et de oculi forma. Quando tunc demum fuerit accersitus, si rupta jam fuit cornea, et partium oculi compago destructa, et de futura ipsius vitae integritate graviori periculo exposita amicos atque cognatos aegri certiores reddat. Medicus in omni illo morbo prae caeteris hoc sibi habeat persuasum, se morbi incrementum feliciori casu quidem impedire, minime autem perfectam adferre posse sanationem.

#### §. 60.

Nunc ad curam mali nos convertamus. Quando prius adest morbi genus ex secretionem abnormi in oculo facta pendens, sub initio me-

dicitur jam omnem adhibeat curam, ne malum augeatur, et in secundum morbi stadium, quod chronicum est, et reliquos tristiores hydrophthalmiae transeat exitus. Quapropter causa quaedam praegressa, si amoveri poterit, sedulo amoveatur, deinde inflammationis in oculo obviae et secretionis ibidem abnormis ratio sic habeatur, ut vasorum lymphaticorum actio magis magisque aucta seri secreti maturet absorptionem. Sub finem bulbi ipsius robur diaetetico regimine et remediis aptis augeatur.

### §. 61.

Quae spectant ophthalmiam et secretionem abnormem, ea sunt. Bis singulo die, aut etiam ter et quater ex laudato unguento \*) particula pisi majoris magnitudine regioni supraorbitali illinatur. — Interne una accipiat aegrotus quater singulo die gr. j. Calomelanos cum grano dimidio Opii et scrupulo dimidio terrae foliatae tartari junctum. Simul duo minora vesicatoria, eaque perpetua processui imponantur mastoideo et sinapismi repetitis vicibus brachiis ita quidem adplicentur, ut rubor cutis tantum ipsorum ope suscitetur. Bulbus saepius aqua abluatur ophthalmica ex ℥iv. ∇ Rosarum, ℥j. Mucilag. sem. Cydon. et ℥j. Laudan. liqu. S. parata, et calor siccus vel etiam aromaticis, ope sacculorum cum herbis quibusdam aromaticis v. g. Flor. Chamomill. Herb. menth. et pauxillo Camphorae paratorum externae oculi admoveantur superficiei.

### §. 62.

Quae quidem medela ex vario morbi statu variaque corporis aegrotantis ratione etiam immutanda et singulo casui recte adcommodan-

\*) R. Unguent. neapol. ℥jj, Opii pur. gr. vj. M. exactissim.

da erit, si feliciori successu morbi curam in te suscipere velis. Quando medela recte et tempore opportuno fuerit adhibita, sub usu remedium modo laudatorum morbi impetus pedetentim decrescit. Dolores capitis omniaque signa systematis sensibilis gravius affecti evanescent. Oculi inflammatio, rubor bulbi, photophobia, angustia iridis magis magisque imminuuntur, et seri secreti absorptio felici peragitur successu, ut pristinus bulbi pedetentim redeat status.

### §. 63.

Sed si vel felix ejusmodi adfuerit successus, tamen pristinam raro visus facultatem aut etiam formam oculi adfecti retinebit aeger. Etenim morbus plerumque tam grave damnum retinae et systemati in oculo irritabili intulit, ut etiam functio retinae sit laesa, ideoque amaurosis necessario oriatur, et nutrimentum totius bulbi in perpetuum sit corruptum atque impeditum. Atrophia bulbi etiam tunc finem toti morbo imponet.

### §. 64.

Quodsi vero et visus integer manserit, et omne bulbi nutrimentum recte peragatur, summa tamen cautione opus erit, ad reditum mali, ut ut fieri poterit, feliciter evitandum. Prae caeteris cura sit localis. Vitet homo nimiam oculi intensionem, nimium luminis ad retinam accessum, ut illud modo caute admittatur, et tantummodo pedetentim atque successu temporis augeatur. Locus ulceratus ad utrumque processum mastoideum per longius temporis spatium emplastro irritanti a sanatione retineatur. Continuatus balnei usus aegrotis diligenter erit de meliori nota commendandus. Vitent praeterea refrigerationem, frequentem illam ophthalmiarum causam. Medicus denique

in regimine diaetetico respiciat ad causam eamque removeat, quae morbo praebuerat occasionem.

§. 65.

Ad illam nos nunc convertamus hydrophthalmiae ex humore vitreo speciem, quae sine inflammatione, sine dolore et sine morbo universali magis lento incedit gressu, atque sic multo minus quidem aegris creat molestiae, nihilo minus tamen aequae periculosa et curatu difficilior omne saepius medici respuit auxilium. Si vel nobis progressum morbi ulla quadam ratione opprimere licuerit, ut illa tamen ejus symptomata, quae jam apparuerunt, tollantur, nunquam fere a medico vel dexterrimo peragi poterit. Illam humoris vitrei copiam, quam in oculo aegroto medicus jam accumulata[m] vidit, certe nunquam eliminabit, — impedire vero potest, quo minus ulterius accrescat.

§. 66.

Inter remedia huc spectantia nullum prorsus talem medicorum applausum tulit, quam *Herba Digitalis purpureae*. Si vel in multis aliis affectionibus, praesertim hydropicis, medicorum fefellerit expectationem, experientia tamen uberior ejus in hydrophthalmia usum esse probabilem testatur. *BEERIUS* ipsam pluries felicissimo adhibuit successu et semper fere, si vel malum ipsa non ablatum fuerit, tamen incrementum hydropis penitus est impeditum.

§. 67.

Causa cur digitalis purpureae herba tantas in cura hydrophthalmiae laudes sibi promeruerit, cum forte in multis aliis affectionibus orporis hydropicis inutilis esset, — mihi in eo latere videtur, quod ingularem hocce medicamentum in oculos exserit effectum, qui fere

specificus vocari possit. Etenim praeter alia symptomata in usu ejus conspicua, praesertim luminis repentini sensum ante oculos; neque tamen, uti Belladonna vel Hyosciamus pupillae, dilatationem majorem producit, quae, quamvis rationem efficaciae, quae illo medicamine in oculo exseritur, nondum dictincte explanare valeant, insignem tamen nobis plantae in totum sensibile oculi systema effectum demonstrant. Uberiora experimenta, quae quavis data occasione sunt continuanda, etiam in hoc morbo nobis certiora edent experientiae documenta.

### §. 68.

Caeterum consueto more usus digitalis in morbo locum habeat. Ter aut quater quotidie gran. j. pulveris foliorum cum paucillo pulveris cinnamomi aut alius aromatis cum saccharo mixti, exhibeatur. Dosis remedii pedetentim aucta porrigatur, donec tandem effectus ejus accedant singulares, frequentati pulsus imminutio, vertigo, nausea perpetua, fulgurationis sensus ante oculos etc. Tunc eadem remedii copia per aliquod temporis spatium continuanda erit curatio, donec tandem effectus in oculo affecto sese prodant ipsum sanationis initium praenuntiantes.

### §. 69.

Praeterea ad utrumque processum mastoideum vesicatorium ponatur perpetuum, et per sat longum temporis spatium secretio materiei purulentae ibidem promoveatur. Forte etiam inunctiones ex succo aut etiam extracto scillae marinae ope salivae in regione supraorbitali factae sanationem admodum maturabunt. Sanatione jam peracta consueto more reditus retineatur mali.

## §. 70.

Quodsi veromalum tantopere accrevit, ut omnis bulbus mirum in modum sit extensus, ut non solum visus distinctior desit, verum etiam ex mechanica aquae collectae vi variae aegrotis suboriantur molestiae, eaeque vehementiores, medicus prognosi, quod oculum attinet, tristissima data, accedat ad aquae per operationem evacuationem, quae unica est ad vitam hominis servandam et tristiores eventus evitandos eliminandosque via. Varia est ratio, a chirurgis hunc in finem proposita.

## §. 71.

Simplicior atque optima oculi paracentesin peragendi methodus ea est, ut cultello cornea sic, uti in cataractae extractione, aperiatur. Si solus adest hydrops corporis vitrei, extractione lentis artis lege peracta, hyaloidea ope lanceolae Beerianae aperiatur, et ulla quaque ratione humoris vitrei prolapsio promoveatur. Aquae insigni copia hac ratione emissa, vulnus, uti post cataractae extractionem tractetur, simulque in universum tota medendi methodus locum habeat, qualem §. 66. sqq. contra secundum genus hydrophthalmiae ex humore vitreo proposuimus. Etenim nulla alia ratione recens aquae collectio, novumque morbi incrementum poterit evitari.

## §. 72.

Alia ratione paracentesin oculi ope instrumenti illius, quem vocamus troicart, peregerunt, aut etiam per setaceum, exemplum EDUARDI FORD secuti, oculum evacuarunt. Attamen plura sunt, quae usum ejusmodi aquae evacuationis prohibeant. Primo nimium excitare solet incitamentum, nimiamque inflammationem. Status vero ejusmodi oculi depravatus, omnem ejus inflammationem, quantum fieri

poterit, evitare nos jubet. Etenim ejus nimia inflammatione semper fere exitus minus fausti, excrescentiae fungosae circa margines vulæris elevatae; aut etiam mutatio totius oculi in scirrhum accelerabuntur. Praeterea in omni alio oculi morbo, visus facultatem auferente semper ad hoc respiciendum erit, ut forma bulbi magis integra retineatur. Verum enim vero talis adest bulbi totius laesio, praesertim si setaceo velis morbum sanare, ut omnis pereat oculi forma, quae alias sub simplici corneae sectione integra mansisset.

*Imminutio ambitus humoris vitrei.*

§. 73.

De illa humoris vitrei imminutione, quae cum illa totius bulbi, seu atrophia oculi universali et cum synchysi juncta apparet, jam supra verba fecimus. Nunc tantummodo de illa nobis erit agendum, quae sine bulbi atrophia tantummodo sub ipsa cataractae extractione ita quidem oritur, ut pars ejus, aut etiam totum corpus vitreum per vulnus corneae prorumpat. Corpus vero, si unquam ex parte aut totum fuerit extra bulbum prolapsum, nunquam ita regeneratur, uti effuso humore aqueo observamus, sed humor aqueus ejus occupat locum. Tunc igitur adest humoris vitrei imminutio vera.

§. 74.

Causae ejusmodi prolapsionis variae reperiuntur. Modo oritur ex inepta ophthalmiatri agendi ratione, bulbum ad promovendum lentis exitum nimis digito prementis, aut instrumento hyaloideam laedentis, modo etiam ex nimio musculorum bulbi spasmō, eorumque contractione, id quod etiam sine chirurgi culpa vel dexterrimo cuique accidere poterit. Parte vitri tantummodo prorumpente, media ejus atque pu-

pillae maxime proxima pars perit. Quando autem major ejus corporis quantitas ex oculo emittitur, etiam illa pars ejus, quae retinam tangit, eamque extendit, locum amittit suum. — Operatione peracta, vulnereque corneae jam sanato ejusmodi humoris vitrei prolapsio quidem eo cognoscitur, ut pars ejus in pupilla haereat, ejusque marginem inferiorem ad fundum camerae anterioris deprimat, utque inde forma pupillae oblonga aut adeo triangularis evadat, et pedetentim tantum pristinam admittat formam.

§. 75.

Si pars tantummodo media humoris vitrei prorumpat, visus integritatem retinet bulbus, adeoque majorem in ipso aciem consequitur, cum pars humoris vitrei in camerae posterioris cavo haerens, lentis extractae locum firmiore expleat corpore, luminisque radios melius, quam sola aqua frangat. — Quando autem illa etiam pars humoris vitrei perit, quae retinam tangit atque extendit, ut ita major totius vitri pars, aut etiam totum ejus corpus sit amissum, retina, quae non amplius rite extenditur, incipit corrugari, nec etiam in posterum per aquam, locum vitri occupantem, quae justam ejus extensionem peragere nequit, in integrum restituitur. Retina corrugata tanta exoritur visus perturbatio, ut homo vel non distincte, vel plane non res sibi objectas discernere possit. Videmus inde eorum mendacia, dictitantium, etiam humore vitreo penitus elapso hominem visus recuperare integritatem, — cum contra ne ulla quidem ratione ejusmodi miseris ars medica optatum ferre possit auxilium.

---

Errata :

Pag.	2	lin.	2.	pro: da,	leg. de.
—	—	—	4.	suffusione,	suffusione.
—	—	—	25.	concsribenda	conscribenda.
—	3	—	10.	nisigni	insigni.
—	5	—	10.	proprias	proprios.
—	9	—	22.	quae	qui.
—	16	—	3.	romediis	remediis.
—	—	—	10.	observamur	observamus.
—	12	—	9.	abscuratae	obscuratae.
—	16	—	5.	te	de.
—	22	—	23.	verosimile	verisimile.



